

1. Buch 17. Bogen 1. 1/2

17. 98.



b.

ORATIO  
DE  
FESTO ORTHODOXIAE  
IN ECCLESIA GRAECA CELEBRARI  
SOLITO

---

IN  
SOLLEMNI PANEGYRI  
CVM VIRIS QVIBVSDAM DOCTISSIMIS SVMMI  
IN THEOLOGIA HONORES CONFER-  
RENTVR  
RECITATA

---

A  
IO. FRANCISCO BVDDEO  
THEOL. D. ET P.P.

---

IENAE  
Sumtu VIDVAE MEYER.  
CIO MDCCXXVI.



4

ORATIO  
DE  
FESTO ORTHODOXIAE  
IN ECCLESIA GRAECA CILICARIA  
SOLITO

IN  
SOLENNI PANEGYRI  
CUM VITAE QUAE IN THEOLOGIA HONORES CONFER  
RENTUR  
PAGINA

IO. FRANCISCO BAPPEO  
TUM D. THEO.

LENAE  
SIBBI VIVAE MEYER  
MDCCCXXII





Q. D. B. V.



Aud exiguus est, auditores, illorum  
dierum numerus, quos aut veteris  
ecclesiae pietas, aut sequentium  
saeculorum superstitio, sacros fe-  
stosque esse voluit. Et nobis quidem eorum,  
quibus aut seruatoris optimi natiuitatem, aut  
eiusdem a mortuis resuscitationem, aut stupen-  
dam diuini spiritus in apostolos collationem,  
similiaque Numinis benignissimi ad morta-  
lium salutem spectantia munera, pia mente re-  
colimus, laeta merito prorsusque venerabilis  
est memoria, Romana autem ecclesia, vt in

A 2,

co-

eorum, quos sanctorum ordini publica auctoritate adscripsit, colique religiose voluit, numero augendo, nec modum nec finem tenuit, simulque ad dogmata sibi propria omnibus eo maiori specie obtrudenda, dies quosdam sollempni ritu celebrandos instituit; ita festorum eorumque auxit numerum, ut qui omnia observare velit, illi nihil aliud fere per integrum agendum annum sit, quam ut, sepositis negotiis reliquis, otio atque ignavia vitam transigat. Nec segnior aut negligentior fere in eiusmodi diebus constituendis fuit ecclesia graeca, utpote quae nec minori sanctorum martyrumque copia superbit, nec leuiore, rerum quarumdam gestarum, & ad se pertinentium, memoriam ad posteros propagandi, se habere putat rationes. Singulare autem prorsus, nec omnibus, ut puto, temere notum, inter reliquos dies, quos haec ecclesia sacros sollempnesque reputat, aliquem esse, qui orthodoxiae consecratus est, atque *festum*, itemque *dominica orthodoxiae*, vocari solet. Nec enim alibi temere eiusmodi quid inuenias. Quod romanenses hoc ipso, quo verba ad vos facio, auditores, die celebrant festum corporis

poris, vt loquuntur, Christi, ab Urbano iv. pontifice primum institutum, & in concilio Viennensi a Clemente v. confirmatum, itidem publicum quoddam orthodoxiae documentum, ex illorum mente sententiaque, censerī posset; cum doctrinae, quam sibi propriam ac peculiarem fecerunt, praecipuum caput sit transubstantiationis illud commentum, quod propagare hac ratione atque vindicare ab interitu, consultum duxerunt. Longe etiam meliori iure illum diem, quo susceptam a Luthero feliciter ecclesiae religionisque christianae emendationem, ad gratias Deo, pro tanto munere agendas, in memoriam nobis reuocamus, ita adpellare liceret; cum vera puraque doctrina, a squalore & sordibus, quibus commaculata erat, repurgata hac ratione in lucem iterum emerferit. Verum, cum mos atque consuetudo loquendi repugnet, missis hisce, ad Graecos nos conferemus, exposituri paucis, cuiusmodi illud festum sit, quod orthodoxiae sacrum dicatumque esse voluerunt. Hoc enim nec ingratum vobis, auditores, fore, nec ab eo, quod hodie nobis peragendum est, alienum esse negotio, existimo.

A 3

Ori-



Originem atque natales festi huius, quod tam splendido *Ἰησὺς ὁ ἑσδοξίας* nomine superbit, quamuis rectius *ἑρεσδοξίας* immo turpissimae idololatriae dicatur, inuestigaturis, funesta illa, quae orientalem ecclesiam olim turbarunt, nobis sese offerunt de imaginibus certamina. Fuerunt haec eiusmodi, vt, ob causam nullo negotio aliquot horarum spatio diiudicandam, tantum tamque diuturnum, immo & tam atrox exoriri potuisse bellum, miretur merito atque obstupescat posteritas. Quidquid furor, quidquid pessimorum hominum calliditas excogitare potuit, id arreptum auide, & intrepide vsurpatum, praesertim ab illis, qui imaginum fauebant cultui, eumque introductum cupiebant. Nec tam rationibus pugnatum, aut scripturae effatis, quae illi certe, qui pro imaginibus stabant, adferre non poterant, quam mendaciis, calumniis, fictis miraculis, visionibus, adparitionibus: tum porro decretis conciliorum, mandatis atque edictis principum, carceribus, exsiliis, poenisque adhuc grauioribus. Compescere insanum istum imaginum amorem, erumpentique superstitioni obuiam ire

ire adgressi sunt imperatores Leo III Isauricus, Constantinus, cui ignominiosum copronymi nomen iconolatrarum petulantia peperit, Leo IV. atque V. seu Armenus, & cum primis Theophilus: sed experiundo didicerunt, facilius hydram potuisse periri ab Hercule, quam coerceri ab se monachos, superstitionis patronos ac promotores, artiumque, quibus populus fascinari & in quamlibet circummagi partem potest, peritissimos. Ut autem irritus in opprimenda superstitione istorum imperatorum fuit labor; ita per feminas contra Irenem & Theodoram caput non tantum extulit, sed tandem omnino triumphavit, immo pulcherrimo orthodoxiae nomine ornata fuit.

Mortuo nimirum Michaële balbo, summa rerum in imperio Constantinopolitano ad filium eius Theophilum peruenit, cuius laudem, rebus praeclare fortiterque gestis partam, frustra obscurare conata est veterum recentiorumque iconolatrarum mentiendi calumniandique libido. Per duodecim & quod excedit annos imperio praefuit, bellaque feliciter contra Saracenos gessit, magnumque hac ratione nominis

nis sibi comparavit decus, donec tandem ex ultimo cum iis praelio, Persarum prodicione, inferior discedens, mox vitam cum morte commutaret. Fortitudinis laudi, iustitiae addidit amorem, quo eum omnium sibi conciliasse animos, IO. CVROPALATA, GEORG. CEDRENVVS ceterique rerum Constantinopolitanarum scriptores, vno omnes fatentur ore, nec abnuere audent, qui ob reiectum ab illo imaginum cultum infensissimo erga eum sunt animo. \* Illustre eius documentum dedit, quod illos quoque, qui cum patre in Leonis Armeni necem

\* Excipiendus, qui odio in huncce imperatorem omnes vincit, auctor iste, cuius extat διήγησις διαλαμβάνουσα περὶ τῶν ἁγίων καὶ σεπτῶν εἰκόνων, καὶ ὅπως, καὶ δι' ἣν αἰτίαν παρελάβε τὴν ὀρθοδοξίαν ἐπιστολῶς Ἰελεῖν, ἢ πρώτη κυριακῇ τῶν ἁγίων νησειῶν, ἢ ἁγία Θεῶ ἐκκλησία. *narratio complectens quae spectant ad sacras ac venerabiles imagines, & quamobrem sancta Dei ecclesia in more receperit, quotannis celebrare, quam vocant ὀρθοδοξίαν, (id est resti-*

*tutionem sacrarum imaginum) dominica prima ieiuniorum; quam graece ac latine edidit FRANCISCVS COMBEFISIVS in auctario nouo bibliothecae patrum graeco-latinae tomo II p. 716. seqq. Ut enim omnes, quas potuit contumelias in Theophilum imperatorem congerit; ita quae ab aliis in eius laudem dicuntur, silentio praetermittit. In eadem vero etiam oratione siue narratione historica, de origine festi, quod orthodoxiae sacrum fuit, ex instituto agit.*

cem conspirauerant, parricidarum poena adfici iussit. Immo cum aliquando ingentem cum mercimoniis nauem appelli videret, eam admiratus quaesivit, cuius esset? cumque audiret, eam esse coniugis suae, quae merces hasce sibi aduehi curasset; ergo, inquit, mea vxor me mercatorem facit, cum sim imperator? statimque sibi iussit adferri ignem, quo nauem cum mercibus simul cremauit. Quo ipso quantopere auaritiam lucrique cupiditatem detestaretur, quamue eam indignam imperatore censeret, luculenter testatus est.\* Atque haec aliaque cum non laudare nequeant, qui imaginum cultum defendunt; simul tamen conuiciorum in eum conuicere plaustra non desinunt, & vt principum omnium sceleratissimum, impium, haereticum, qui omnes crudelitate superaue-rit, iracundum, violentum, magicis artibus deditum, & omnibus vitiis tantum non obru-

B

tum

\* Referunt haec omnia scriptores Byzantini, quorum verba recitat CHRISTOPHORVS BENSOLDVS in *historia Constantino-*

*politana post auxilium a Carolo magno occidentem, ad nostra usque tempora deducta part. I. p. 32. seqq.*

tum, nobis describunt. \* Caussam si quae-  
ras, imaginum cultum ferre noluit, homi-  
numque superstitioni frenum iniecit; & in quos-  
dam petulanter reluctantes, speciatim Meth-  
odi-

\* Documentum praebet au-  
ctor antea commemoratus, quip-  
pe qui orationem suam, siue narra-  
tionem historicam hisce auspiciatur  
verbis: Τῷ βασιλέως Θεοφίλῳ τὸ  
κατ' ἐκείνῃς καιρῶ, συγχωρήσας  
Θεῶ, τὴν αὐτοκρατορικὴν διέπον-  
τος ἀρχὴν, τὴν ἀθέμιτον, καὶ  
πονηρὰν τῆ θεοσυγῆς κοπερ-  
νύμῃ, καὶ τῶν θηριωνύμων,  
καὶ θηριοζώπων, χαλεπὴν καὶ  
ψυχόλητον αἵρεσιν διεδέξα-  
το ἢ ἀναδεξάμενος, καὶ ἔδεν  
ἤτων ὠφθη τῆς ἐκείνων δυσρο-  
πίας τε καὶ τυραννίδος τάυτην  
γὰρ ὁ μάταιος εἰτέτι κακοφρό-  
νας καὶ φρενοβλαβῶς ἀνεκάνι-  
σε, καὶ τὴν παραπλεξίαν τῶν  
ματαιοφρόνων ἐκείνων εἰκονο-  
μάχων μιμῆμενος, τὴν ἐκ μα-  
νικαϊκῆς μανίας ἀναφύεισαν,  
διωγμὸν ἄσπονδον καὶ αὐτὸς  
κατὰ τῆς ἐκκλησίας τῆ Θεῶ ἀν-  
εῤῥίπισε. Cum Theophilus im-  
perator per id tempus diuina  
permissione imperium governa-

ret, nefariam prauamque Deo  
odibilis Copronymi, ac hominum  
ferarum nomine ac moribus gra-  
uem illam, & animis exitiosam  
haeresin, suscepit, nihilque sus-  
cipiens, ab eorum nequam mori-  
bus ac tyrannide visus est deces-  
sisse. Eam quippe stultus ille,  
malo proposito ac insana instau-  
rans mente, dementium horum  
iconomachorum imitatus pecordi-  
am, prolem vtrique furoris Ma-  
nichaeorum, diram & ipse perse-  
cutionem excitauit aduersus Dei  
ecclesiam &c. Idem sibi datum  
crediderunt, qui Romanae eccle-  
siae sacra sequuntur, quoties ho-  
rum certaminum mentionem in-  
iiciunt, aut de Theophilo hocce  
imperatore verba faciunt; quos  
inter omnium instar esse potest  
LVDOVICVS MAIMBURGIVS  
in historia de haeresi iconoclasta-  
rum, gallice scripta, lib. VI. p.  
310. seqq.

odium, iconolatrarum eo tempore antefignanum, paullo feuerius animaduertit.\*

Rebus tandem mortalium exemto Theophilo, imperii administratio penes filium eius Michaëlem tertium, admodum adolescentem,

B 2

fi-

\* Vt eo magis Theophilum ob crudelitatem omnibus inuisum reddant, qui imaginibus fauent, ea quae illi, qui pro imaginibus stabant, perpeffi sint, mirum in modum exaggerant. Auctor *orationis* siue *narrationis historicae*: ὁ δὲ δίκαιος καὶ ἀθλιος Θεόφιλος, ἀδιόρθωτος μένων, πολλαῖς καὶ πικραῖς τιμωρίαις, αἰκίαις τε καὶ βασάνοις ἐν ὀλίγῃς τῶν ὀρθοδόξων ὑποβαλῶν, ὑπερορίας καὶ ἐδίκασε. *infelix autem miserque Theophilus, incorrigibilis manens, multis grauibusque suppliciis, verberibusque ac tormentis mancipatos orthodoxos non paucos exsilio damnauit; l. c. p. 720.* Idemque deinceps praecipuos imaginum defensores, qui eo tempore floruerunt, recenset. Hos inter primum praecipuumque locum tenet Methodius patriarcha, quem iussu imperatoris in spelunca quadam, perinde uti cadauera sepulchris

abduntur, conclusum, memorant. Addunt, duos deinde illi adiunctos latrones, quorum vnus cum ibidem extinctus esset, cadauer tamen non fuisse remotum, vt ex eius foetore eo maior Methodio molestia crearetur. Ex scriptoribus Byzantinis hoc enarrat CHRISTOPHORVS BESOOLDVS *l. c. p. 38.* Sed in hisce omnibus falsa plurima veris quibusdam admixta esse, & pleraque fabulis ac figmentis conspersa, ostendit FRIDERICVS SPANHEMIVS in *historia imaginum restituta sect. VIII. §. XIII. tomo II. operum eius p. 857.* Non equidem negauerim, durius interdum quaedam ac asperius, quam par erat, a Theophilo in dissentientes statuta esse; sed hos non mitiores fuisse, cum eorum partes superiores erant, adeoque illi nihil iure exprobrare potuisse, certum est.

simulque adeo Theodoram coniugem Theophili esse coepit. Atque haec cum iconolatrix prorsus obnoxia, ex eorum nutu ac voluntate omnia gereret; maximam rerum contigisse mutationem, vel me tacente intelligitis. Quo erga imagines animo, dum maritus viueret, Theodora fuerit, num serio earum detestata fuerit cultum, an sententiam, ne maritum offenderet, dissimulauerit? de eo non vna omnium est sententia. \* Veritate conuictam, ad iconolatrarum transiisse castra, nemo temere sibi

\* Auctori equidem orationis seu narrationis historicae si credimus, Theodora semper fuit catholica seu orthodoxa, hoc est, imaginum adoratrix, adeo vt ne id quidem prorsus dissimulauerit; cui & ἡ τιμία καὶ εὐσεβὴς ἀνασσα, ἡ ἐξ εὐσεβῶς καὶ ὀρθοδόξου ῥίζης κλαδὸς Θεοφιλῆς ἀναβλασῆσασα venerabilis ac piissima imperatrix, Dei amans germen, e pia & orthodoxa ortum radice, audit, p. 720. Verum ipsemet hac de re dubitat FRANCISCVS COMBESISIVS. Cum enim auctor oratio-

nis dixisset, Theodoram imagines Christi & Mariae, marito inorbundo, vel inuito adorandas ac osculandas ingessisse, addit COMBESISIVS: Minus haec consonant iis, quae habet Curopalata, de dissimulata Theodora orthodoxa, seu etiam eius aut vera aut adfectata a mariti morte, mente non sana, donec Manuele perterrente, conuentum indixisset, quo ageretur de restituendo ecclesiae ornatu; nisi ipsa eam methodum inire maluit, ad rei amolendam inuidiam, eandemque efficacius gerendam, cum alioquin

sibi persuaserit. Matrem Theodoraē, Theoctistam, feminam superstitioni ad insaniam vsque deditam, viuente Theophilo, imaginibus addictam fuisse, non diffitentur Byzantini scriptores. Hanc omnem tum mouisse lapidem, vt in eandem filiam pertraheret sententiam, quis dubitet? Dubitare certe veterum testimonia vetant. Accedebat auctoritas auunculorum Theodoraē, Theoctisti & Manuelis, qui vt principem in aula & militia tenebant locum, tutoresque principis Manuelis constituti erant, ita, oppressis atque deiectis iconomachis, cuncta pro libidine & vt cupiebant, se administrare posse, credebant.

Nec deerant speciosa sanctitatis simulacra,

B 3

ar-

*periculum esset, ne res turbarentur &c. Et quibusdam interiectis: Potuit paucis domesticis nota esse imperatricis orthodoxia, cuius palam in omnes prodendae tempus congruum pia foemina ac prudens captaret; volens se velut inuitam ad ea compelli pro pietate, ad quae ipsa ex se excitator erat; p. 747. Ita & reliqui Romanae ecclesiae addicti, Theo-*

*doram, viuente marito, orthodoxiam suam dissimulasse, speciatim* LVDOVICVS MAIMBURGI-  
*vs in historia de haeresi iconoclastarum lib. VI. p. 344. repugnantibus* GEORG. CEDRENO,  
& IO. CVROPALATA, qui, Manuelis minis territam Theodoram, in iconolatrarum transisse castra, discrete testantur.

artesque ad fallendos incautos comparatae, miracula, similiaque diuinae voluntatis pro lubitu conficta signa; quibus omnibus expugnari sequiorem sexum, natura ad superstitionem pronum, quis miretur? Haec tamen nondum Theodoraē flectebant animum, quippe quae a mariti exemplo discedere sibi ducebat religioni, hinc & quam diutissime restitit, donec minae tandem adhiberentur, quae animum quantumuis fortem ac intrepidum perterrefacere poterant. Dum enim audiebat, fore, ut vita & imperio priuaretur, nisi iconolatrarum amplecteretur partes, cessit tandem, & ex istorum hominum voto sententiaque omnia peragere coepit.

Tum enim uero redire, pristinumque recuperare locum iussi imaginum defensores, quos remouerat Theophilus; earum contra oppugnatores in exilium pulsī, ipsae denique imagines in publicum triumphantis superstitionis docu-

\* Copiosius haec omnia edidit FRID: SPANHEMIVS, in *historia imaginum restituta sect.*

VII. §. XIV. tom. II. operum p. 358. seqq.

cumentum restituta. Magna id factum pompa, adparatuque haud vulgari, dominica prima *ἡν ἁγίων νηστειῶν sacrorum ieiuniorum.* Ingens enim tum hominum conuenit multitudo, ipseque aderat imperator, *μετὰ ἡς ἁγίας καὶ ὀρθοδόξης αὐτῆς μητρὸς cum sancta ac orthodoxa matre sua,* vt graecus auctor loquitur, cum patriarcha Methodio, ac a templo, in quo congregati fuerant cum sacris imaginibus, pretiosaque cruce ac sancto euangelio, proficiscentes, ad portas palatii, quae Ctenariae dicuntur, inter preces & litaniae cantum venerunt, reuersuri inde ad sacram aedem, ac diuinam mysticamque, vt Graecis appellare mos est, liturgiam celebraturi. Atque tum ab imperatore, ac patriarcha, ceterisque, ad quos hocce negotium spectabat, decretum constitutumque est, vt quotannis sancta haec ac veneranda festiuitas, prima sacrorum ieiuniorum dominica, magnifice & splendide celebraretur. \*

ἡς

\* Fufius ista enarrat auctor *ita describit: οἱ δὲ εὐσεβῶς κερ- orationis seu narrationis hi- ἡντες, μετὰ ἡς εὐασμῆς καὶ storicae, qui & institutionem ἁγιωτάτης πατριάρχης Μεθοδίου, festi huius, quotannis celebrandi, καὶ ἡν σὺν αὐτῇ μητροπολιῶν,*

τῆς ὀρθοδοξίας in ecclesia graeca adpellari so-  
let. \*

Non

καὶ ὁσίων ἀσκητῶν, τὴν ἡνικαῦτα  
ἐθέσπισαν, τὴν ἐορτάζειν τὴν ἀ-  
γίαν καὶ σεβασμένην ἐορτὴν  
ταύτην, ἐτησίως λαμπρῶς ἐν τῇ  
τῷ Θεῷ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ, τῇ  
πρώτῃ κυριακῇ τῶν ἀγίων νη-  
σειῶν ἢ ἵης καὶ μέχρι ἵης δεῦρο,  
εὐδοκίᾳ καὶ χάριτι τῷ ἀγαθῷ  
Θεῷ ἡμῶν ἐορτάζεται, εἰς δόξαν  
καὶ αἶνον τῷ Ἰῶν ὅλων Θεῷ καὶ  
κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ. Pii  
ergo Augusti, una cum venerabi-  
li ac sanctissimo patriarcha Meth-  
odio, eiusque collegis metropo-  
litis, ac sanctis exercitatoribus,  
per id tempus sanxerunt, ut quot-  
annis sancta haec ac veneranda  
festiuitas, in magna Dei ecclesia,  
prima sacrorum ieiuniorum do-  
minica, magnifice ac splendide  
celebraretur, quae & haecenus  
diuinae bonitatis beneplacito ac  
gratia, sollempnis agitur, in glo-  
riam ac laudem vniuersorum Dei  
ac domini nostri Iesu Christi; p.  
739. 740.

\* Ἐορτὴν τῆς ὀρθοδοξίας vo-  
cant IO. CVROPALATA, item-  
que SYLVESTER SGVROPV-

LVs in historia concilii Florentini,  
sect. XII. cap. I. p. 330. CE-  
DRENVs τὴν τῆς ὀρθοδοξίας πανή-  
γυριν adpellat. Aliis etiam κυριακῇ  
τῆς ὀρθοδοξίας dominica ortho-  
doxiae dicitur, quae est prima  
quadragesimae, quoniam ea ce-  
lebrari solet. Confirmari idem  
potest ex libris ecclesiasticis  
Graecorum, cuiusmodi sunt ty-  
picum SABAE, item triodium,  
de quibus legendi LEO ALLA-  
TIVS in dissertationibus duabus  
de libris ecclesiasticis Graecorum,  
quas vir doctissimus IO. ALB.  
FABRICIVS volumini quinto  
bibliothecae suae graecae subiun-  
xit, p. 2. 51. & 82. & GVIL-  
CAVE in dissert. de libris & of-  
ficiis ecclesiasticis Graecorum, e-  
iusdem historiae literariae scri-  
ptor. ecclesiast. subnexa, p. 31. 32.  
Et in typico, quidem SABAE cap.  
XLII. legitur: διάταξις τῆς  
πρώτης κυριακῆς τῶν ἀγίων  
νησειῶν, ἢ τοι τῆς ὀρθοδοξίας,  
dispositio primae dominicae san-  
ctorum ieiuniorum siue ortho-  
doxiae. Sic & GEORGIVS CO-

Non originem itaque solum & occasionem eius, auditores, sed & quid istud sibi velit, intelligitis. Restitutionem enim imaginum, simulque opinionem, cultu ac veneratione religiosa eas prosequendas esse, splendido isto, & ad fucum incautis faciendum comparato, ornarunt nomine. Quod quam inique praetereque rem omnem factum sit, si copiose demonstrare vellem, valde vereor, ne in re minime dubia, non necessaria vterer demonstratione. Non equidem illorum probo sententiam, qui nec conspectum ferebant imaginum, easque tollendas omnino & reiiciendas clamitabant; prudentiores tamen, qui se imaginibus opponabant, facile perspiciebant, quorsum tandem res euasura esset, si semel reciperentur. Idque experientia atque euentus comprobavit. Turpissima inde enim superstitio, immo idololatria foedissima, orientalem primum, deinde & occidentalem, renitentibus licet ini-

C

tio

DINVS: ἀπέχεσθαι δὲ εἰς τὴν ἁγίαν σοφίαν καὶ κατὰ τὴν κωνσταντῖν τῆς ὀρθοδοξίας δόμνικα ὀρθοδοξίας ἀβί (impetrator) ad sanctae Sophiae templum; de curiae & ecclesiae Constantinopol. officiis & official. cap. & V.

tio strenueque repugnantibus concilii Franco-  
furdensis patribus, ipsoque Carolo magno im-  
peratore, \* inundavit ecclesiam. Dum au-  
tem istum imaginum cultum, & superstitionem  
& idololatriam voco, nihil, quod verum  
non sit, dico, & simul quam procul iste ab ea,  
quae christianos decet, Deum colendi ratione  
absit, significo. Cum enim, solum Deum reli-  
gioso cultu prosequendum esse, & ratio doceat,  
& scriptura sacra diserte testetur; quis quaeso  
superstitionis aut idololatriae immunem pro-  
nuntiabit, qui imagini cuidam, quaecumque  
demum illa sit, eundem defert? Quodsi obuer-  
tas, per imaginem ipsum te Deum colere; ec-  
quis

\* In concilio Francofurdi-  
ensi anno DCC XIV. a Carolo  
magno convocato, probato usu  
imaginum legitimo, earundem  
cultum ac adorationem reie-  
ctam ac damnatam, immo in  
isto concilio ab ipso Carolo,  
certe sub eius nomine *capitulare*  
aliquod, *quatuor constans libris,*  
*de non adorandis imaginibus,*  
contra Constantini VII. impera-  
toris Constantinopolitani & Ire-  
nes matris decretum, pariter ac

synodum Nicaenam II. conscri-  
ptum esse, neminem temere fugit.  
Hoc equidem ut declinent telum,  
in omnes se vertunt partes Ro-  
manae ecclesiae addicti; sed  
eorum conatus vanos irritosque  
esse, solide demonstrarunt IOAN.  
GEORGIUS DORSCHENSIS  
in *collatione ad concilium Franco-*  
*furdense sect. II. cap. VI. p. 41.*  
seqq. & IOAN. DALLAEVS, *de*  
*imaginib. lib. IV. cap. II. p. 368.*  
seqq.

quis te Deum ita coli velle docuit? Certe nec ratio nec scriptura, quae eiusmodi cultum adeo non probat, vt diserte prohibeat. Nec tamen solius Dei, sed sanctorum etiam hominum imagines, qui ista superstitione tenentur, colunt, & ita haud raro colunt, vt ipsas istas imagines statuasque eiusmodi veneratione prosequantur, quam solus Deus merito sibi vindicat. In veteri quoque ecclesia istos homines nullum sui erroris inuenire praesidium, adeo manifestum est, vt mirum omnino sit, quod ad illam prouocare audeant.\* Et nihilofecius, tanta Graeci fuere impudentia, vt istam de imaginum cultu doctrinam *ὀρθοδοξίαν*, festumque, in erroris sollempni ratione confirmati memoriam introductum, *τῆς ὀρθοδοξίας* vocare non dubitauerint.

Iam & de ratione, qua diem huncce festum, eundemque orthodoxiae sacrum,

C 2

cele-

\* Abunde hoc, vt alios taceam, demonstrauit IO. DALLAEVS, quem iam laudauimus, in *libris IV. de imaginibus*, praesertim *lib. I. & II.* Eum equidem ex instituto sibi refutandum sum-

fit NATALIS ALEXANDER *bist. eccles. noui testam. saec. VIII. dissertat. VI. tomo V. p. 757. seq.* sed adeo infeliciter, vt sententiam DALLAET confirmare potius, quam labefactare videatur.

celebrarunt, nobis aliquid commemorandum est. Destinatum illi fuisse dominicam primam quadragesimae, quae Latinis *inuocauit* adpellitur, Graecis autem κυριακή πρώτη τῶν νηστειῶν, *dominica prima ieiuniorum*, & ex antea dictis constat, & Graecorum quoque libri ecclesiastici testantur.\* Eo itaque die sollemnis instituebatur processio cum

CRI-

\* Patet hoc ex testimoniis iam adlatis, quibus addi adhuc potest illud PHILOTHEI patriarchae Constantinopolitani, *homil. in primam quadragesimae dominicam*, ubi statim ab initio ita loquitur: τῇ κυριακῇ ταύτῃ, καὶ πρώτῃ τῶν νηστειῶν ἢ τῆς Χριστοῦ ἐκκλησίας ἑορταζέου παρελάβε τὴν ὀρθοδοξίαν, ἥτοι τὴν ἀνασῆλωση τῶν σепτῶν καὶ ἀγίων εἰκόνων *Dominica ista & prima ieiuniorum Christi ecclesia celebrare solet orthodoxiam, siue restitutionem venerabilium & sacrarum imaginum &c.* Sed & NICEPHORVS GREGORAS huius rei mentionem facit, cuius verba cum LEO ALLATIUS attulisset, simul obseruat, magnopere eos falli, qui *dominicam* hanc *orthodoxiae* cum *festo magni canonis* confan-

dunt; in disert. de *dominiciis & hebdomadibus recentiorum Graecorum*, operi eius de *ecclesiae occidentalis & orientalis perpetua consensione* subiuncta, §. XIV. p. 1431. Nimirum festum illud *magni canonis* celebrabatur *dominica* quinta quadragesimae, atque ita vocabatur, quod eodem *magnus canon* canebatur, cuius auctor fuit ANDREAS Hierosolymitanus, ex Damasco oriundus, Cretae archiepiscopus, qui *collecta vniuersa veteris & noui foederis historia, canticum composuit, cohortans omnes, vt, quae videant in historia esse bona & laudabilia, pro viribus sectentur, mala fugiant & exsecrentur; vt idem ALLATIUS l. c. §. XIX. p. 1440.* loquitur.

crucibus & imaginibus, \* & celebrabatur memoria imperatorum & patriarcharum orthodoxorum, hoc est, eorum, qui imaginum cultum ac venerationem strenue promouerant. \*\* Legebatur tum synodicum, \*\*\* eoque finito faustis adclamationibus, imperatores atque sacerdotum antistites excipiebantur. \* Quod vero nonnulli addunt, Michaëlem imperatorem hanc in iconomachos poenam statuisse, vt a templo beatae Mariae in Blachernis cum facibus ad templum sanctae Sophiae irent, & sibi mutuo in aurem infusurrarent, *anathema*, id de illis tantum, qui Methodium patriarcham calumniati fuerant,

C3

in-

\* Hinc in *typico SABAE cap. XLII.* dicitur: λιτανέομεν κοινῶς μετὰ τῶν τῆς ἀγίας σταυρῆς ξύλων καὶ τῶν σεπτῶν εἰκόνων. *supplicationem in communi institimus cum sanctae crucis lignis, & venerandis imaginibus.*

\*\* Docent hoc verba NICEPHORI GREGORAE, quae recitat LEO ALLATIVS *l. c. p. 1432.*

\*\*\* Ex *typico SABAE l. c.* hoc discimus: ἀπερχόμεθα ἐν τόπῳ ὡρισμένῳ, ὅπῃ θεὸς ἀναγινώσκει τὸ συνδικόν. *abimus in locum destinatum, ubi legen-*

*dum est synodicum.* Similia & in *triodio*, itemque apud GEORGIUM CODINVM leguntur, quae LEO ALLATIVS recitat *l. c. p. 1435. & 1436.* qui & de *synodico* hocce legendus in *dissert. II. de libris ecclesiasticis Graecorum, p. 153. seqq.*

\* Testatur hoc *typicum SABAE: καὶ μετὰ τὸ τέλος πολυχρονίζομεν τὰς βασιλεῖς καὶ τὸν προσεῶτα. in fine vitam diuturnam precamur & imperatoribus & antistiti.*

intelligendum alii monent. \* Nec deerant, qui hymnos & cantica, ad diei istius augendam laetitiam, componerent. \*\*

Non equidem vituperandi sunt Graeci, quod de orthodoxia adeo fuerint solliciti. Nec sine ratione quidam illorum dixit, modo recte intelligatur: πρώτη γὰρ ἀρετή, ἡ ὀρθόδοξος γνώμη ἐστὶ. *prima virtus, sensus orthodoxus est.* Sed suo tamen simul docuerunt exemplo, quam facile hic mortales se ipsi decipiant, vanisque & inanibus se pascant commentis. Serio, saltem plerosque, sibi persuasisse, veram rectamque se tenere sententiam, quis dubitet? Quis vero etiam non miretur, in re tam clara, tam facili, tam perspicua, tanta illorum mentes perfundi potuisse caligine? Quis non obstupescat, errorem, quem sana ratio, quem scriptura sacra, tam aperte damnat, tot mor-

\* Ita LEO ALLATIVS, reprehendens IO MEVRSIVM, quod verba IO. CVROPALATAE non recte intellexerat, l. c. p. 1436.


\*\* Huiusmodi est illud MICHAELIS SYNCELLI, quod LEO ALLATIVS l. c. exhibet. Alios duos hymnos, alterum THEOPHANIS confessoris, alterum THEODORI studitae, refert CAESAR BARONIVS in *annalib.* ad annum DCCC XLII. num. XXVII. Alterius initium est: Σκιστῶντες μετ' εὐφροσύνης σημερον, πιστοὶ βοήσωμεν ὡς θαυμασὰ τὰ ἔργα σου Χριστέ καὶ μεγάλη ἡ δύναμις, ὃ τὴν ἡμῶν ὁμόνοιαν

καὶ συμφωνίαν ἐργαζόμεν. Exultantes hodie prae gaudio clamemus, fideles. Quam mirabilia sunt opera tua, & quam magna, o Christe, potentia tua, qui nobis vnionem & concordiam es operatus. Alterius initium est: Χαριστήριον ὡδήν ἰῶ εὐεργέτη Θεῶ ἰῶν ὅλων ἄσωμεν πιστοὶ, ὅτι ἡγέρε σωτήριον κέρασ, βασιλείαν κραταιάν, ὀρθοδοξίας πρόμαχον. Canamus, o fideles, cantum pro gratiarum actione vniuersorum Deo & benefactori, quoniam erexit cornu salutis, & potens imperium, ad rectam fidem protegendam.

mortalium potuisse occupare animos, tam firmiter iis infigi, tanta pertinacia defendi & propagari? Quam autem vellem, ut alienis istis omnes redderentur cautiores periculis. Non adeo leue quid est, veritatis cognitio, ut plurimi existimant. Quo facilius in errores pudendos, insanos, ab omni ratione alienos prolabantur mortales; eo difficilius saepius aut consequuntur aut retinent veritatem. Si quid itaque est, de quo vel maxime sollicitos esse, in quod omnes ingenii vires intendere, ad quod omnes conuertere cogitationes nos oporteret, veritatis hoc est cognitio, in iis videlicet, quae ad salutem aeternam consequendam, miseriamque perennem euitandam, omnes scire debent. Neque Graeci solum, sed Romanenses, sed alii quam plurimi, & numero infiniti, documentum nobis praebent, nihil frequentius inter mortales contingere, quam ut a recto veritatis atque salutis aberrant tramite. Nec plebeiorum modo hominum, aut rudium, eorumque, qui litterarum sacris imbuti non sunt, ista fors est; sed eorum quoque, qui quo magis ingenio & eruditione florent, hinc & sibi vel maxime sapere videntur, eo grauiori lapsu in absorta quaeuis, & inepta, & impia ruunt, mentis, qua sola se praestare putant, imbecillitatem quam luculentissime prodituri. Discere hinc mortales debebant, non sine Numinis munere veritatis sibi obtingere cognitionem, fallique maximopere, qui aut naturae viribus, aut intellectus acumini, aut industriae ac exercitationi omnia tribuunt.

Atque huius rei hodierno nos memores esse decet die, quo id agimus, ut viris quibusdam doctrina, virtute & ingenio praestantissimis summi in theologia conferantur honores. Quod si dixerim, doctori theologo nihil magis curae cordique esse debere, quam orthodoxiae, hoc est, verae sanaeque doctrinae, quae ad hominum promouendam salutem comparata est, studium, nemo, puto, temere hoc reprehenderet. In ea equidem proh! dolor incidimus tempora,  
vbi

vbi nonnullis orthodoxia iocus est, atque ludibrium, qui quidem vellent, vt omni veritatis, quae ex sacris litteris hauritur, cognitione sublata, tenebris replerentur omnia, & summa miscerentur imis, soli vt ipsi regnare & cuncta pro lubitu & dicere & agere possent. Sed quamdiu hoc certum est, vnicam solum esse ad salutem viam, quam scriptura, rite dextreque explicata, dumtaxat monstrat, tamdiu erunt, qui hisce se opponent, eorumque irritos reddent conatus. Neque vero dum orthodoxiam, veritatisque studium commendo, opiniones quasdam male sanas erroneasque, quae perperam hocce nomen sibi vindicant, aut singularia quaedam, quae sine salutis periculo ignorantur, placita, aut sterilem quamdam ac ieiunam rerum sacrarum cognitionem, omnique fructu destitutam, hocce nomine intelligo; sed veram istam certamque & solidam rerum diuinarum notitiam, quam scriptura omnibus, qui rectam salutis viam ingredi cupiunt, commendat, quaeue instructos illos esse oportet, qui doctorum rite volunt munere fungi, quaeue vt vnice scripturae testimoniis innititur, nec nisi spiritus sancti benignitate obtingit, ita sanctitatis quoque ac virtutis studio vim suam ac efficaciam demonstrat. Talem veritatis cognitionem, eiusque studium sincerum, vt nemo nisi impius aut insanus damnare potest; ita vt in eo proficiant, simulque vt veritatem ipsam custodiant, conseruent, defendant, id enim vero eorum esse, qui non nominari sed esse theologi suarum ducunt esse partium, longe est manifestissimum. Eaque in re ita se doctor theologus geret, vt diligenter quid ecclesiae, quid singulorum hominum permittat ratio, dispiciat, consideretque, quando lenitate, quando seueritate opus sit, & necessaria non minus ab iis, quae intermitteri possunt, quam noxia a profuturis, discernat, & ita demum & fidelis & prudentis serui, in quo maximum positum momentum seruator ipse pronuntiat, laudem referet.



Tb 4907

\$


ULB Halle  
005 213 924

3



no





ORATIO  
DE  
FESTO ORTHODOXIAE  
IN ECCLESIA GRAECA CELEBRARI  
SOLITO

IN  
SOLLEMNI PANEGYRI  
CVM VIRIS QVIBVSDAM DOCT  
IN THEOLOGIA HONOR  
RENTVR  
RECITATA

A  
IO. FRANCISCO  
THEOL. D. ET P.

VIENNAE  
Sumtu VIDVAE MI  
MDCCCXXVI.

